

fieri fecit, pro qua cunctos redditus
deputavit ad sustentacionem quatuor
capellanorum pro capella et choro tenendo
in officiis. Sicque ecclesiam Melensem
33 annis gubernavit, et postea obiit
sub Innocentio papa sexto anno suo
8, die 12. Maii, imperante Karolo
III Romanorum imperatore.

Johannes LXXXII^{us}

Domino Ademario defuncto de ecclesia
Bisontina ad cathedram episcopalem
Melensem transfertur dominus Johannes
de Vienna, archiepiscopus Bisontinus, anno
Domini 1361, episcopus Melensis 72.

Forte iugum suave, scilicet pallium fuit
sibi grave, dum de archiepiscopatu ad
episcopatum descendit. Cum tamen Christus
dicat: Iugum meum suave est, et
meum leve; et si dicatur, quod
maius est dominium ecclesie Melensis,
nec hoc sufferre potuit, quia ad ecclesiam
Basiliensem, postquam 4 annis rexit
Melenses re transferri procuravit, ac si
nollet florenum, et reciperet denarium.
Tempore huius castum in Rambertevillari
per incendium totaliter est destructum, quod
per successorem suum dominum Theodericum
mirabiliter bene est reparatum. Hic etiam
discordiam cum Melensibus super iuribus
suis habuit et apud sedem apostolicam
placitavit; absque dubio vero triumphasset,
si translatus non fuisset; cum successore
tamen suo Melenses composuerunt facientes
quod iuste debuerunt.

g^o corr. s. m. r.

quod rectius

q^o vero corr. vere m. r. ut videtur.

q^o inserit max. nec. non (quod iuste non debet.)